



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 4. Benignior summi Pontificis epistola ad Cardinalem Noaillium
Parisiensem Archiepiscopum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII. epistola fuissent implicite contentæ, in
 A. C. 1715 structioni Pastoralis insertis, Consti-
tutionem acceptaret.

§. IV.

*Benignior summi Pontificis epistola
 ad Cardinalem Noaillium Pari-
 siensem Archiepiscopum.*

*Epist. Clem.
 XI. p. 2055.*

Clandestinas hæc artes penitus igno-
 rabat Pontifex, qui etiam jamjam
 suo Nuntio utramque epistolam sub-
 misit, eidem tamen præcipiens, ut e-
 pistolas, qua paterne ad submissionem
 invitabat, Noaillio minime redderet,
 nisi de ejus subjectione certa spes fo-
 ret: Mitioris autem epistolæ die vige-
 sima sexta Februarii datæ tenor erat se-
 quens.

„Charitas Christi, quam commisso
 „Nobis universo gregi Dominico de-
 „bemus impendere, urget Nos, ut er-
 „ga eos potissimum, qui in Templo Dei
 „super candelabrum positi, veluti lu-
 „minaria Majora præfulgent, Pastoralis
 „nostræ sollicitudinis studium conver-
 „tamus, ut nihil in eorum actibus mi-
 „nus congruum, aut forte inordina-
 „tum appareat, quod cæteris Christi-
 „fidelibus offendiculo esse, aut a prava
 „sentientibus trahi quodammodo possit
 „ad iniquitatis exemplum. Cum igitur
 „tur, dilecte Fili Noster, circumspe-
 „ctio-

„ctionem tuam, quam in humiliter su- Sæc. XVIII.
 „scienda, tuisque populis commen- A. C. 1715.
 „danda constitutione nostra, quam ad-
 „versus plurima malæ doctrinæ capita
 „nuper edidimus, ceteris Gallicanis
 „Episcopis præire omnino par fuerat,
 „cunctari adhuc, atque hæere vide-
 „rimus, dolumus sane non parum,
 „quod id non modo Apostolicæ Sedis
 „Authoritati, verum etiam honori ac
 „dignitati tuæ apud æquos omnes re-
 „rum æstimatores graviter afficere vi-
 „deretur. Expectare tamen hucusque
 „maluimus, ut tuamet ipse pietate
 „ductus, prudentia admonitus, officio
 „extimulatus, quod optabamus, im-
 „pleres. Quia vero rem istam, quæ
 „maxime Nobis, & merito cordi est,
 „nimis jam longe protractam amplius
 „differri non decet, divini prius lumi-
 „nis implorato præsidio, & Evange-
 „licæ Nobis præceptionis norma pro-
 „posita: *qui major est in vobis fiat sicut*
 „*minor*: statuimus charitate potius,
 „quam potestate tecum agere, teque,
 „renitentem licet, nostris ultro literis
 „convenire, utque ad Nos filialis obe-
 „dientiæ passibus redeas, exhibere tibi
 „paternæ dilectionis occursum. Habet
 „enim vim suam charitas, cujus vin-
 „culo trahi te, Nobisque prorsus ob-
 „stringi cupimus, Deoque authore,
 „con-

Sæc. XVIII. „confidimus, cogita, quæso, dilecte Fili
A. C. 1715. „Noster, ac sedula Tecum mente re-
 „volve, quid porro ex ista contentione
 „tua apud Deum, hominesque profi-
 „cias; quo in argumento versari diu-
 „tius nolumus, ut non tristitiam super
 „tristitiam habeas; neque enim Te
 „modo corripere intendimus, sed lu-
 „crari. Tuomet igitur Te iudicio in
 „præsentia sistimus, utque omni ter-
 „rena affectione seposita causam tuam
 „ante Deum; qui scrutatur renes, &
 „corda, æquo pacatoque animo tecum
 „ipse agere, atque expedire velis, ve-
 „hementer hortamur. Perspicies pro-
 „fecto, quam grave sit, & a per-
 „petua Majorum nostrorum consuetu-
 „dine absonum, summo Ecclesiæ sacer-
 „doti Christi nomine, cujus vices, li-
 „cet immeritus, gerit in terris, uni-
 „versis toto orbe fidelibus præcipienti
 „palam obfisti, & publicam Catholicæ
 „Ecclesiæ pacem paucorum Episcopo-
 „rum dissensione turbari: videbis, &
 „plane dignosces, quo demum agan-
 „tur spiritu & quo tandem colorata illa
 „Zeli & Disciplinæ severioris ostenta-
 „tione colliment, qui Apostolicæ nostræ
 „constitutioni contradicunt, ejusque
 „Decreta carpunt, vanisque penitus,
 „atque ab eadem nostra Constitutione,
 „illius-

„illiusque toto, & quidem satis aperto Sæc. XVIII.
 „tenore prorsus alienis, quin etiam A. C. 1715.
 „studiose superinductis, vel potius ad
 „rem involvendam maligne affectis diffi-
 „cultatibus, & quæstionibus temere
 „cavillantur: qui scripta quotidie, li-
 „bellosque, quorum jam non est nu-
 „merus, in vulgus spargunt, ea plane
 „audacia, & amaritudine undequaque
 „refertos, ut nec Deum timere, nec
 „homines revereri videantur. Hi porro
 „dilecte Fili noster, sunt, qui te laudi-
 „bus ad cælum efferunt, tuamque su-
 „scipiendis Apostolicis definitionibus
 „repugnantiam gloriosa constantiæ sa-
 „cerdotalis appellatione deprædicant,
 „quodque inviti quidem, atque gemen-
 „tes dicere cogimur, cum tacere pror-
 „sus, Zelo Dei Nos urente, non va-
 „leamus, ipsimet Eterodoxi cum pri-
 „vatis literis, quas ipsimet oculis no-
 „stris aspeximus, tum publice editis
 „libris, Tibi, tecumque sentientibus
 „mirifice plaudunt, & gratulantur, ac
 „falso quidem, & per summam teme-
 „ritatem vos omnes sibi prope jam con-
 „sentire gloriantur. Ingemiscimus pro-
 „fecto ista videntes, teque, dilecte
 „Fili noster, quæ nostra de eximia pie-
 „tate tua opinio est, Nobiscum inge-
 „miscere non ambigimus, quare ergo
 „non exurgis Nobiscum adversus aper-
 „tos

Sæc. XVIII. „tos Ecclesiæ hostes, qui exprobrant
A. C. 1715. „agminibus populi Dei? quare occul-
 „tos, qui acuerunt linguas suas, sicut
 „serpentis, eorumque nefaria scripta
 „aperte non detestaris, quare demum
 „insidiantium fidei tuæ, qui maxime
 „timendi sunt, ingesta Tibi sub falsa
 „amicitiæ simulatione consilia non re-
 „pellis, laudes non averfaris? neque
 „enim frustra scriptum est, *Et consilia-*
 „*rio serva animam tuam, ne forte mittat*
 „*sudem in terram, & dicat tibi, bona est*
 „*via tua, & stet e contrario videre quid*
 „*tibi eveniat: id totum in manu tua est,*
 „dilecte Fili Noster, si scilicet Apосто-
 „licæ nostræ constitutioni sincera ac
 „simplici susceptione te subicias, eam-
 „que in commissa tibi Diæcesi omnino
 „servari procures, postulat hoc a te
 „recens omnium pene per Galliam Fra-
 „trum tuorum, imo & aliarum quoque
 „Nationum exemplum. Postulat ipsius
 „Ecclesiæ tuæ, quæ in beati Petri fide
 „& Apostolicæ Sedis adhæsiōe semper
 „excelluit, Pax, & tranquillitas. Po-
 „stulat, ac plane exigit eximia illa
 „charissimi in Christo Filii Nostri Lu-
 „dovici Francorum Regis Christianis-
 „simi pietas, in cujus corde tantum
 „Religionis Zelum miseratio Divina
 „constituit, ut eam universis Regni ne-
 „gotiis anteponat. Postulat demum
 „vel

„vel ipsa tua amplissima Cardinalatus Sæc. XVIII.
 „Dignitas, qua Sedes Apostolica te A. C. 1715.
 „ornavit, sibi que non beneficii modo,
 „sed & solemnibus jurisjurandi vinculo
 „magis obstrinxit, atque una cum om-
 „nibus aliis venerabilibus Fratribus
 „nostris S. R. E. Cardinalibus ad omni-
 „modam Nobiscum in eodem sensu, ac
 „sententia convenientiam & unitatem
 „invitat, revocat, & suo quodam jure
 „repetit, atque compellat. Ne igitur,
 „Dilecte Fili Noster, paternum nostrum,
 „tuumque amantissimum cor tristari
 „diutius, nec Regis Christianissimi ju-
 „stissimam voluntatem frustrari ulterius,
 „nec demum inclytam Gallicanam Na-
 „tionem, quam tanto labore, invicta-
 „que fortitudine, ac immortalis sui no-
 „minis gloria idem Rex Christianissimus
 „in Religionis unitate expulsis, qui
 „eam misere dilacerabant, servare cu-
 „ravit, ac plane obtinuit, iterum, quod
 „porro absit, in funestæ divisionis pe-
 „riculum adduci, aliquando patiaris,
 „sic te feliciter præeunte pauci illi, qui
 „te, si non impellente, te comitante
 „saltem, a ceteris recesserunt, unitati
 „pristinæ restituti, quem ducem secuti
 „sunt, Te ducem subsequantur, atque
 „ea, quæ per universum mundum sem-
 „per inclaruit, Gallicanæ Ecclesiæ er-
 „ga beatum Petrum, & Sedem Apo-
 „stoli-

Sæc. XVIII., stolicam observantia feliciter effulgente
A. C. 1715., non minus, Nos, quam Rex præfa-
 tus Christianissimus, tota simul No-
 biscum exultante Gallia collætābimur,
 & quod sustinuisse dispendium de tar-
 ditate putavimus, de uberiori repe-
 riamus charitate compendium, ita
 ut hac dilatione temporis non inter-
 rupta videatur, sed enutrita dilectio.
 Id vero, dum a Te solliciti quantocius
 exspectamus, Apostolicam Benedictio-
 nem Tibi peramanter impertimur.,

Altera epistola eodem die data,
 quæ *severior* dicebatur, Pontifex præ-
 primis gravibus oppido verbis Episco-
 pis recusantibus ac præcipue Noaillo
 scandala & tumultus ex eorum perti-
 nacia exortos exprobrabat, cui demum
 auctoritate Dei, & SS. Apostolorum
 Petri & Pauli in virtute sanctæ obedi-
 tiæ & sub pœna exauctorationis solo
 facto incurrendæ præcepit, ut intra
 quindecim dierum spatium pure & sim-
 pliciter, sine restrictione, modificatio-
 ne aut explicatione Constitutionem ac-
 ceptaret, & de obedientia mox Papam
 certiolem redderet: evoluto autem
 hoc termino Papa ulterius secundum
 Canonicas sanctiones processurus esset.